



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Enchiridivm Chronologicvm Sacræ Et Prophanæ Historiæ

Salian, Jacques

Coloniæ Agrippinæ, 1638

Capvt VIII. Tertia regulæ, & qua contra ipsam peccentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64957](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-64957)

Introductio

C A P V T VIII.

Tertia regula, & quæ contra ipsam
peccentur.

Tertia regula est recta Ratio, quæ
tres interius spectatas perspe-
cta que probat, ut quæ nihil absur-
dum, nihil dissonum, aut repugnans
circumspicienti produnt. *Recta enim*
ac praua talicit quodam sensu diudi-
camus, ait Orator. Ea mentis actio
in homine ingenioso ac prudente
cernitur: sed id lumen ingenij, pru-
dentiæque maturitas, si ingenita fue-
rit naturæ beneficio, id est, liberali-
tate diuina, excoli potest ac perfici,
si admodum deficit, modice corrigi, si
plane desit, inseri omnino non potest.
Contra hanc quam dixi rectam Ra-
tionem multū læpe grauiterque pec-
catur in re Chronologica: cuius è re
fuerit aliquot huiusmodi peccata in-
dicare tyronibus, à quibus triarij ali-
quando nonnulli non satis cauerunt,
siue dum noui aliquid dicere cupiunt,
siue dum piget ac pudet mutare sen-
tentiam.

Ticinius Sit ergo primum in hoc genere de-
regno Sau lictum, tempus rebus gerendis ido-
lis tribuit. neum, aut quod satis sit non trbuere.

Ideo-

ad Chronologiam.

Ideoque Rabbinos aliquos non solum falsitatis arguimus, sed etiam impudentiae non ferendae, qui Aranum Abrahæ fratrem, septimo vel octauo vitæ sue anno Saram filiam suam genuisse mentiuntur, nimirum ut Abrahamum Tharæ primogenitum inepta ambitione constituant. Sapienter quoque M. Tullius Sex. quandam Neuium falsi criminis arcessit, quod alioqui necesse sit biduo septingenta passuum millia fuisse decursa. Sicubi ergo de tempore gestæ rei coniecturis agendum fuerit, ita spatia temporis distribuenda erunt, ut quod cuique rei peragendæ sufficiat, prudenter tribuatur.

CAPVT IX.

Alterum contra hanc regulam in re Chronologica insigne delictum.

Illud quoque rectæ rationi, cum in rebus alijs, tum in ratione temporis non parum aduersatur, si ut deuites minus aliquid incommodum, in maius quoddam, aut plura etiam imprudente rincurras. Quo in genere non leuiter peccant, ut cum bona eorum veniam loquar, qui cum locutionem quandam in Iudicium libro aliquoties
ē iteratam